

9
TRANQVILLI

ANDRONICI

DALMATAE,

Ad Optimates Polonos
admonitio.

CVM PRAEFATIONE IACOBI

Gorscij, ad Illustrissimum & Magnificum

Dominum Stanislavum Comitem de

Gorca. Palatinus

Polonianus.



CRACOVIAE,

In Officina LAZARI, Anno Dñi: 1584. ✓

E. XII 149

AD ILLUSTRISSIMUM,
ET MAGNIFICUM DOMINUM,
STANISLAVM COMITEM DE GORCA,
PALATINVM POSNANIEN. &C.

Iacobi Gorscij, in Tranquillum Androni-
cum Præfatio Parænetica.



*Voluntas nunquam, occasio semper, Il-
lustrissime Comes, studii mei, erga Illu-
stris. Mag. vestram demonstrandi mi-
hi defuit. Nam & Illustris. Mag. ve-
stræ ea amplitudo est; ut opera mea
vlla in re opus non habeat: & rerum mearum priuata-
rũ ea est ratio; ut nunquam adhuc vsus venerit; ut aut
opera, aut patrocinio Illustris. Mag. vestræ uti in eis
tuendis aut possem, aut vlla necessitate ad eam rem, vr-
gerer: tum quòd in eis locis consistant, unde ad patro-
cinium, Illustris. Mag. vestræ excurrere non facile
queant; tum verò, quòd in eo genere fortunarum sint,
quod principum virorum splendorem non perferat, ac
vmbra delectetur: quæ autem publica sunt, & in com-
muni, vel salute, vel ornamentis versentur Reipub.
(quo in genere Illustris. Mag. vestri principem locum
in hoc regno, à maioribus suis, hæreditate & perpe-
tua successione traditum tenet) ea ad me hominem pri-*

Gorscij fortu-
næ & studia.

Gorcana pro-
sapia Princeps
in Regno.

Cur Gorscius
Consilium
mutet.

Tempora Rei-
pub. quæ sint.

Res priuata
in salute pu-
blica consistit

Reipub. discrimen est ruina
priuatarum for-
tunarum.

Saluti publi-
cæ inuigilan-
tes, honore
digni.

uatae vitæ deditum, ac litterarum studiis in vmbra ab-
ditum, nihil pertinere semper iudicauit. Nunc autem
ea tempora incidere video; vt institutam vitæ meæ
rationem mutem, tuamque Illustrissimam Magnifi. in-
terpellem, ad tuumq; amplissimum patrociniū, & au-
thoritatem amplissimam Gorcanæ profapiae hæredita-
riam confugiam necesse esse iudicauit. Non quod equi-
dē res mea priuata in eo discrimine posita sit, vt non nisi
tuæ Illustriss. Mag. beneficio, & tutela salua esse que-
at; Verū enim uerò, quòd Reipub. ea tempora esse,
& eam tempestatem Regno impendere cernam; vt ne-
que priuatarum rerum quisq; suarum ullam salutem,
quæ in salute publica consistant, sperare debeat. Pu-
blica enim tranquillitas priuatorum tranquillitatem
continet & fouet; calamitas Regni, priuatas omnium
fortunas, vel penitus euertit, vel grauius affligit. Et
propterea, qui suas fortunas, suamque vitam quietio-
rem amant, publicæ saluti inuigilare debent. Nemo in
discrimen Republica vniuersa adducta, tutus securusq;
res suas tenere vnquam potuit. Euerso vel afflicto to-
to regni corpore, membra eius quæcunq; illa & ubi-
cunq; fuerint, pariter vel euerti, vel debilitari, & af-
fligi necesse est. Quamobrem, qui Reipub. humeris suis
sustinent, ac eius commodis, ornamentis, & stabilitati
operam nauant; magno honore & omnium amore, di-
gni

gni sunt semper habiti. Iis enim omnes priuati, & vitam, & fortunas, quas tuentur debent: cum in eorum praesidio, cura, vigiliis, commoda, ornamenta, facultates, atq; fortunæ illorum, & consistunt & vigeant. Quo nomine, tibi, & prosapia vestræ Gorcanæ Illustris. Comes, omnes huius inelyti Regni ciues multum debent: domus vestra amplissima, regni huius semper vel præcipua columna fuit; cui huius regni totum ædificium incumberet, ac egregiè ab ea sustentaretur. Non refero Illustris. Comes merita maiorum tuorū in hoc regnum: non maxima bella ab eis confecta: non legationes Reipub. salutares obitas: vicinorum impetus à regno repressos; hæc enim rerum præclare ab eis gestarum, & ornamentorum in hoc regnum profectorum commemoratio, & cōmentarios longiores, & orationis flumen, non meam in dicendo ariditatem exposcit: splendor virtutum, ac rerum gestarum familiæ vestræ, perstringit mentis meæ oculos; nec patitur me in penetralia laudis suæ ingredi: grauius hoc onus esse video, quàm ut humeris meis impositum perferam. Et propterea totam eam vel maiorum Illustris. Mag. vestræ, meritorū in hoc regnum commemorationem prætermitto. Præstare enim viri magni de rebus amplissimis & virtute insigni tacere; quàm non pro dignitate earum dicere, semper senserunt atque monuerunt.

Gorcanæ familiæ merita.

Cur laudes Gorcanæ familiæ prætercat Gorfcius.

Causa scriben-
di Gorscio
quæ fuerit.

*Vt autem nunc ad Illustriss. Mag. vestram venirem,
& meo scripto eam interpellarem, causa ea fuit. Cum
nuper orationem Philippi Callimachi, hominis eruditi
sanè, in qua ille ad præsidia paranda, pecuniamq; con-*

Liber Andro-
nici.

*ficiendam, atq; contribuendam contra Turcarum vim
& impetum, quo tum omnia sternerentur, huius regni
clerum hortatus est, edidisset; & nostros eius ipsius,
quod nobis cominus impèdeat periculi monuisset; Vir
quidam, & religionis Christi, & salutis Reipub. uni-*

Causa dedica-
tionis.

*uersæ amantissimus, Thomas Plasa, librum hunc, què
ad Illustriss. Mag. vestram mitto, obtulit mihi; atq; vt
viderem, num etiam hic dignus esset, qui item in pu-
blicum emitteretur, qui etiam nos eius ipsius periculi,
cuius Callimachus maiores nostros admonebat, commo-
neret. Quem librum cum legissem, argumentumq; eius,
in quo versaretur vidiissem; non putavi me boni ci-
uis, & filij regni huius officium facturum; si eum do-
mi diutius detinerem. Itaq; nihil procrastinans, eum li-
brum typis excudendum, ac quàm emendatissimum in
lucem publicam dare curavi. Quem quoniam Illustriss.
Principi sanctæ recordationis viro, Posnaniensi Ca-
stellano, & Capitaneo Maioris Poloniæ generali, An-
dræ Gorcano Illustriss. Mag. tuæ patri pietissimo,
ab authore suo, Tranquillo Andronico Dalmata, dica-
tum fuisse vidi; vt eodem nomine, & auctoritate pro-
sapiæ*

*Sapientiae vestrae clarissimae munitus, iterum in publicum
 egressus, quae patribus nostris suasit, nobis suaderet, ac
 Illustriss. Mag. vestrae hospitio repetito, ius patrociniij
 haereditarium, ab Illustriss. Mag. vestra peteret, &
 quasi postliminio in familiam vestram regressus, sua
 cura & libertatem apud omnes, de periculis regni hu-
 ius, & furore Turcico differendi recuperaret; ad Illu-
 striss. Mag. vestram eum remittere volui. Quem librum
 ut Illustriss. Mag. vestra eo animo, quo non solum à
 tuo, sed totius huius regni, & patriae patre vero, acce-
 ptus erat, ut recipias; per eum amorem, quo salutem
 Reipub. nostrae, ac regni uniuersi complexus es, oro.
 Vides Comes Illustriss. quae tempora sint regni nostri: Tempora |
Reipub.
 Vides quem hostem, & vicinum, & infestum habea-
 mus: vides immanem illam beluam, quae omnia regna Rabies Tur-
carum.
 Christianorum deuorat, nobilitatem exterminat, serui-
 tute omnibus mortibus acerbior premit, regno immi-
 nere; in quod ne statim irruat, Persarum bella tantum
 eum retinent: quae, si casu ullo composuerit, si se, vi- Quid Turcæ
retineat.
 resq; suas inde auocauerit; nulla interposita vel mini-
 ma hora, in nos nostrumq; regnum impetum faciet. Non
 animus illi nostri inuadendi, sed tempus deest. Quam
 nunc necessario pectore premit flammam; liberior pau-
 lo ab alijs bellis factus, in nos euomet. Et qua imma-
 nitate in priuatorum, & ad se legatorum abutatur, in
 toto*

Leui de causa
bellum Tyrā-
ni inferunt.
Podlodouij
cafus.

toto regno abuti contendet. Minimam ille occasionem,
magnam causam belli inferendi iudicat. Quo animo in
nos sit, testatur indignissima cædes Iacobi Podlodo-
uij, cuius sanguinem innocentis, & fidem, quam illi,
vt legato Regio, dederat, implorantis, exorbuit. Quod
qui cogitat, cogitare autem omnes debent, quam cæ-
dem, quam vastitatem, quam immanitatem, huic re-

Adoptatio ad
præsidia pa-
tanda.

gno animo volutet; non potest non videre. Cui furori
suo, vt occurratur, & præsidia cōtra eius impetum con-
trahantur, Illustris. Mag. vestra, pro suo & profapia
sue clarissimæ, ac potentissimæ officio, & erga Rem-
pub. amore, id negocium suscipere, totis viribus in eam
rē incumbere debet; ne hosti, inermes & omni præsidio

Authoritas
Palatini Po-
fnaniensis.

nudi tradamur. Sunt tibi opes amplissimæ: est autho-
ritas, & tua virtute insigni, & maiorum tuorum in
hoc regnum, difficillimis temporibus, maximis meritis
comparata; qua nemo est in hoc regno, qui non mouea-
tur. Totus ordo equestris te sequetur: quidquid te velle
ostenderis, se etiam velle testabitur, atq; te vt duce[m]
sequetur. Quod cū ita sit Illustris. Comes, totam stu-
dium tuum, curas omnes, & cogitationes tuas, ad Rei-
pub. omniumque nostrum salutem conferre debes. Vt
quemadmodum maiorum tuorum huius regni salus &
dignitas beneficiis, & conseruata, & aucta semper
fuit; tuo beneficio nunc conseruetur, & in tuo patro-
cinio,

cinio, vigiliisq; acquiescat. Multa sunt, quæ magnam
 spem salutis regno polliceantur: Habemus regem stren-
 nuum: & omnium eorum laborum, quos bellum secum
 trahit, contemptorem, ac victorem: est summa in eo pru-
 dentia: est rerum gerendarum dexteritas: consilium
 præsens: animus inuictus: & periculorum cōtemptus.
 Cui, cum tua consilia, opes, ac auctoritatem tuam con-
 iunxeris, communiq; operi, & consilio, regni salutem
 complexus cum eo fueris; & omnes omnium ordinum
 homines, vt idem faciant excitabis; & spem salutis cō-
 munis nobis confirmabis. Quod quàm honorificum tibi
 fuerit, non disero; res ipsa per se, quæ te gloria conse-
 quetur, quæ commoda inde, & in nos, & Rempub. no-
 stram redundabunt, demonstrat. Et quidem vide, quàm
 hæc gloria Reipub. nostræ tuendæ, familiæ vestræ
 propria sit. Fuerunt eo tempore, quo Tranquillus ad pa-
 trem tuum hanc orationem mitteret, clarissimi, rerumq;
 gestarum gloria celebratissimi principes in hoc regno
 viri; omnibus tamen Andronicus, patrem tuum An-
 dream Gorcanum prætulit: ab eo præsidia aduersus
 Turcarum rabiem postulauit: ei pericula regni nostri
 huius demonstrauit; vtq; maturius de præsidiis patriæ
 cogitaret, vt periculis ne dicam interitui regni occurre-
 ret, hortatus est. Quod etsi alios regni huius viros prin-
 cipes, non impares huic prouinciæ iudicaret; maiorem

Spes tuendi
 Regni vnde.
 Regis Stepha-
 ni dotes.

Gorcana pro
 sapia, prin-
 cept in regni
 salute tuenda.

Cur principē
 Gorcanū cæ-
 teris Androni-
 cus prætulit

tamen ad eam rem vim, & ad præsidia regno ferenda facultatem, in familia vestra amplissima statuerit, quod eius authoritas atq; opes illæ essent, quæ totum regnū facile in eam partem, in quā se commouisset, pertuberet, omniumq; ordinum homines ad curam salutis publicæ excitaret. Quam laudem atq; existimationē hæreditariam Illustriss. Comes, si tu negligas; & de tua gloria multum tibi detraxeris, & regni saluti defueris, & in res priuatas nostras, non leuem calamitatem immiseris. Quæ omnia, ut integra, tuo beneficio, nobis maneat; maiorum tuorum vestigia ingressus, & ad curam salutis publicæ conuersus, facile efficies. Non deest tibi vlla in re facultas Reipub. vulnerum sanandorum; modo voluntas non defuerit. Quæ ne desit, & maiorum tuorum magnis rebus gestis gloria quæ sita, & animi tui magnitudo, & amor patriæ communisq; libertatis nostræ, efficiet. Ad quam rem te Illustriss. Comes pluribus hortari nolo, ne videar perpetuæ voluntati tuæ, & amoris tuo hæreditario erga patriam diffidere. Non defueris nobis, non defueris patriæ, non cōmuni saluti, & regni dignitati. Ut autem Illustriss. Comes, hæc quæ à te postulamus præsidia, Reipub. & regno vniuerso facilius inuenias & firmitus constituas, et aduersus hostem, & re, & consilio regnum cōmunias; vulnere Reipub. domestica, & internus morbus tibi

primum

Gloria maiorum non negligenda,

Facultates Comitum Gorcani

Quæ sint præficia Regni Pōloniæ firmandi.

primum omnium sanandus : discordiæ ordinum , quæ
 Rempub. vniuersam conuulnerant , atq; consensum or-
 dinum dissoluunt , tollendæ , & flamma odiorum extin-
 guenda . Hoc enim malo , in viscera nostra deseuiente ,
 nulla salus & publica & priuata speranda : Discordia
 enim magnarum rerum publicarum dissoluendarũ sem-
 per causa fuit . Quid Romana Rempub. aut sanctius le-
 gibus , aut robustius armis fuerit , quæ ab occasu solis ,
 ad ortum usq; & arma circumtulit , & imperium pro-
 mouit ; cui nemo resistere auderet , omnes parerent , ac
 vltro etiam in sua iura concederent ? quæ tamen tam
 potens foris Respub. vno intestino discordiæ morbo , &
 non solùm debilitata , verùm enimuerò prorsus euersa
 interijt . Equidem non tantum ad res , firmandas opes ,
 non tantum exercitus , armaq; presidij ferunt ; quan-
 tum discordia ciuium , & odia intestina , illis roboris de-
 trahunt . Concordia ordinum , Respub. Romana , à par-
 uis initiis orta , creuit ; discordia , magna , & potens dis-
 soluta , corrui . Hic igitur morbus , è regni visceribus
 primum amouendus : huic malo , consentiens , & amoris
 plena adhibenda est medicina ; & tum demum extrà
 corpus ornandum , cùm è visceribus suis causa morbi
 extracta fuerit . Discordia , & contentionibus , vel or-
 dinum , vel priuatorum hominum deseuientibus , hosti
 pares esse non possumus . Discordia enim , & nobis ar-

Discordie ma-
lum Reipub.
interitus.

Romanæ Rei-
pub. exem-
plum.

Vis discordiæ

Medicina Rei-
pub.

Discordia
quid faciat.

ma in hostem sumpta eripiet, & hosti viam amplissimã
 in regnum aperiet, nihilq; unquam commode de salute
 Reipub. nos cogitare permittet. Domesticam vindictam,
 non de hoste victoriam cogitabit: ac vnã cum aduersario
 suo ab hoste capi malet, quã de impetu suo aliquid
 remittere. Est enim ciuile odij vis magna, implacabileq;
 malum. Neq; tanto odio, tantã in hostem externũ ira,
 vel ferimur, vel flagramus, quantum in ciues nostros:
 tota vis discordiæ, omnisq; potestas eius intus, et in
 visceribus Rerumpub. cõsistit et viget. Et propterea
 intestinũ malum, intestinus morbus, & intestina
 perniciēs ciuitatũ appellatur: foras progressa, ciuitateq;
 relicta, vires amittit. Hoc igitur malum vt à visceribus
 regni huius amoueatur, prima & præcipua tibi Illustriss.
 Comes cura esse debet: discordia sublata, odiis domesticis
 sepultis, & loco eorum, amore, consensu, & rerum magnarum
 parente concordia, constitutis; omnia quæ ad regni & salutem,
 & dignitatem, aut conseruandam, aut augendã pertineant,
 facile nobis superpetent: & quæ parua sunt, concordia magna faciet;
 quæ infirma videntur, amor roborabit, atq; nos in hostem,
 facile armabit, paresq; Reipub. tuendæ libertatis conseruandæ
 dignitatis nostræ propagandæ reddet. Hi igitur tibi propagatores
 virium nostrarum, ac salutis Reipub. custodes in consilium
 aduocandi, ac præsi-

Ciuile odium
 perniciēs pu-
 blica.

Inuidia foris
 tabescit domi
 viget.

Concordia
 vis.

diis

diis Reipub. ad mouendi: pestes illæ dissensionum & discordiarum procul ab ea amouendæ. Quod cùm factum fuerit, nihil planè nobis, non modò ad tuendum regnum, hostilemque impetum propulsandum; verùm enimuerò, ad victoriam & trophæa magnifica constituenda defuerit. Neque metuemus eos milites, qui, vel sub Tyrannis nati, vel aliunde in seruitutem abducti, & inuiti militiæ addicti, nihil generosum habent: qui nihil præter metum, Tyranniq; supplicia præsentia cogitant, & domesticam seruitutem perosi, in arma hostilia, non vt vincant, sed vt non viuant, & mortis beneficium se à Tyrannide exoluant, ruunt. Quod genus militum apud nos nullum est. Seruis enim maiores nostri in agris colendis re familiari tuenda vti voluerunt: rei militaris & armorum disciplinam, liberis & generosis hominibus commiserunt; eamque partem regni nobilium ac principum virorum propriam & perpetuam esse suis legibus sanxerunt: nec mercenarius, viliorisque conditionis, & fortunæ demissioris ducibus, ad eam re vti voluerunt; sed reges ipsos sibi duces in bello gerendo esse decreuerunt; quòd generosus animus, & nihil præter insignem gloriam virtuti suæ præmium proponens, non cuiusuis imperium feret; & eum ducem sibi dari optaret, qui idem suæ virtutis ac fortitudinis & testis, & remunerator, atque laudator esset. Itaque rei milita-

Inseruitute nati nihil generosum habet.

Miles Tyranni cur in periculum ruat.

Seruorum in Polonia vsus.

Miles Regni Poloniae qui sit.

Consiliū Polonorum in legendis militibus, ducibusque bello proficiendis.

Discrimen mi-
litū Polonorū
amilitē cæte-
rorum.

Virtus polo-
norum inbel-
lo.

Regni Polo-
nię viri nobi-
les opes regni

Poloni et si nō
numerant sed
ponderant mi-
lites plures ta-
mē si vsus po-
scat scribere
legiones pos-
sunt.

*militaris nostræ ratio à cæterarum gentium institutio-
ne multum differt. Apud eos enim, aut sellularij, & ar-
tifices, genus hominum armis tradendis insuetum, mer-
cede conducuntur, aut è media plebe milites scribun-
tur: quod nostræ leges repudiant: ac nō nisi è nobilita-
te primariisq; hominibus, exercitus ac legiones confici-
unt. Unde fit, ut pauci nostri, multitudinem hostium,
& cupide aggrediantur, & fortiter vincant: non enim
numero sed virtute se præstare hosti volunt: nec prius
vincuntur, quàm cædæ multitudinis infinita hostiū de-
fessi ipsi verius procumbant, quàm hosti succumbant.
Nec equidem Illustris. Comes vllum est vel regnum,
vel Respub. vlla, quæ tot viros nobiles, tam generosos,
tam fortes, tantis viribus, tantis & animi & corporis
dotibus instructos habeat. Nullum regnum est, cuius co-
piæ, cum nostri regni copiis, si vir viro conferatur, com-
parari poterunt. Vincent quidem illi numero, & mul-
titudine plebeia; viribus certe & nobilitate, animorūq;
ardore, pares nostris esse nequeunt. Quàmq; nec nu-
mero illis, non solū non cedimus, verū etiam, si ita
vsus poscat, ut numeroso exercitu utendum nobis sit,
superiores fuerimus. Quis regum tot millia bellicosissi-
morum equitum infinita effusa pecunia cōficere potest?
quot ad vnum edictum, regem nostrū sequantur? nec ro-
bore, nec numero cuiquam cedimus: virtute vincendi,
gloriæ*

gloriae parandae, & ad posteritatem transmittendae studio vincimus. Neque satis militi nostro est, ut cum hoste strenue armis depugnet; verum etiam, ut comilitones suos gloria, & virtute vincat; utque duplici victoria gloriatur, ac maiore honore caeteris se digniorem esse probet: qui ardor, cum animos militum occupaverit, nihil humile, nil abiectum, nihil ignaue eos & cogitare & facere patitur: ut ardua petant, vrget: non mercedulam victores flagitent; sed honoribus & gloriae se decorari cupiant, persuadet. His artibus profapia tua amplissima, Comes Illustris, tantum splendorem, qui oculos nostros perstringit, sibi peperit: hanc tantam gloriam vestram, & opes amplissimae, & auctoritas summa consecuta. Hanc laudem equestris ordo propriae sibi semper esse voluit: atque ut fide erga suos reges; ita rei militaris gloria princeps aliarum gentium esse contendit, atque ut hereditatem a maioribus sibi traditam, retinuit. Quod decus gentis nostrae, viresque inuictas regni, nihil aliud praeter odia, discordias, atque dissensiones intestinas, praeterquam domestica mala illa, de quibus dixi, euertere poterit. Atque equidem, si fuerint vlla vnquam tempora, cum hoc tantum decus, rei que militaris gloriam, Polonia, & tueri & augere facultatem habuerit; nunc vel maxime ea potestas illi datur. Nihil enim tam arduum incidere potest; quod hoc Rege

Stepha-

Æmulatio
virtutis inter
Polonos mi-
lites.

Animi gene-
rosi Polono-
rum.

Quibus arti-
bus Gorcana
familia illu-
stris facta.

Studiū eque-
stris ordinis
gloriae.

Quae sit per-
niciēs virium
regni.

Gloriae mili-
taris ampli-
candae occasio.

Dotes Regis
Stephani.

Stephano, quem singulari Dei bonitate, & erga nos amore, tuaq; Illustriss. Comes cum, & tuo beneficio habemus, regno præsidente, & ad clauem eius sedente, nõ saperetur, nihil est quod non speretur. Nihil enim in

Rei militaris
scientia in Ste-
phano.

Rege Stephano desideratur, quod vel regno legibus gubernando, vel hosti armis frangendo necessarium fuerit. Est ingenium acutum, & in rebus perspicendis solers, & in consiliis ex tempore capiendis præsens: est rei militaris scientia, non illa animo tantum, & cogitatione comprehensa, verum enimvero, usu, ex-

Exercitatio
Regis Ste-
phani.

*perientia, armisq; assidue tractandis collecta, atq; confirmata: est corpus, laboris, inedia, sitis, & cæli, aë-
risq; incommodorum patiens: & quod ocio tabescat; la-
bore, vigiliis, armis exercendis, vigeat, viresq; & col-
ligat, & corroboret. Cuius rei, vt quæ in Vngaria ab*

Bellum cum
Moscho gra-
ue.

eo acta sint, præteream; bellum cum Moscho gestum, indubitatum argumentum est. Graue & difficile bellum suscepimus contra superbum: multisq; & maximis victoriis, prouinciisq; occupatis, Liuania sub iugum missa, ac præsidiis munita, tumentia arma tulimus:

Metus Mosci.

quem Rex noster, primo in Moschouiam ingressu ita perterruit, vt in aciem descendere nunquam ausus fuerit: pristinamq; illam gloriam, quæ opes suas, victorias suas, ac potentiam inuictam toto in orbe personabat, amittere maluerit; quàm armis cum eo congredi.

Non

Non tam arma nostra, quæ sæpè & victor, & victus,
quæ essent, expertus fuerit; quàm sapientiam, & re- Quid metue-
rum gerendarum peritiam, atque celeritatem, animiq; rit Moschus.
robor infractum, & consilia ad omnes casus, metuens.
Non ignorant hunc Regis nostri cæteri hostes animû, Fama Stepha-
& in rebus arduis conficiendis dexteritatem: neque se ni Regis.
Moscho aut feliciores aut firmiores, si eum contra se
arma ferentem viderint, iudicabunt: cum viro sibi re-
fore cogitant: nec aliud eis spem victoriæ præter dis-
sensiones nostras, atque ordinum odia, & contentiones
facere potest. Concordiam nostram, ac nos Regem se-
quentes, si viderint, animo concident. Non de victoria
de nobis, sed de suo casu, ruinâque cogitabunt: quam
pace potius rediment, quàm vt aleam belli experiantur.
Inuictum est Regnum Poloniæ, si concordia, ac con- Vires Regni
sensu ordinum roboratum fuerit, ac Regis authorita- Poloniæ in
tem secutum fuerit, consiliaq; sua cum consiliis eius, quo consistunt.
coniunxerit. Quod cùm ita sit, ne nos ipsi, nostras vi-
res debilemus: ne hostis animum aduersus nos eriga-
mus: ne portas ei aperiamus; Illustris. Mag. vestra
pro suo officio, & Gorcanæ familiæ dignitate prou-
idere debet: quod equidem uno hoc facto efficies, si di-
scordiam ordinum, & priuatim, & publicè sustuleris;
si concordem, & consentientes autoritate tua reddide-
ris, ac vt præsidiis Rempub. firment persuaseris: si te,
si ope-

Regis consilia
& auctoritas
sequenda.

Portæ Regni.

Rei militaris
ratio vnde
discenda.

Zamoscij in-
genium & rei
militaris sci-
entia.

Qui suæ vir-
tuti confidit
alienæ non
inuidet.

si operam tuam, consilia tua, opes tuas, regis opibus, consiliis, & vigiliis coniunxeris. Quod ut facias, & patria vniuersa, & nos priuati petimus. Sit aliud tempus contentionibus commodius. Nunc, iunctis animis, studiis, consiliis, Reipublicæ succurramus. Et exclusa discordia, omnes aditus regni, concordia & consensu, hosti occludamus: Regemq; rebus magnis gerendis, & regni finibus promouendis natum, domi otiosum esse nõ sinamus: virtute eius dum licet, & ad salutem nostram, & regni incrementa, & gloriã gentis nostræ utamur: atque sub eo militaris disciplinæ magistro, belli gerendi rationes ediscamus, ac iudices eas in hoc regno agere permittamus. Habemus ducem & magistrum ad eam rem expeditum, sub quo, quàm celeriter miles in rebus gerendis proficiat, clarissimi viri Ioannis Zamoscij, ingenium docile magnificè testatur. Cum quo, si Illustriss. Mag. vestra in Repub. gubernanda, armis tractandis, regis consiliis exequendis se coniunxerit; certam salutem & nobis, & vniuerso regno polliceri poterimus. Quodequidem Illustriss. Mag. vestram facturum minime dubitamus. Neq; enim te Illustriss. Comes, ex eorum numero esse videmus, qui quod suæ virtuti, ac ingenio nõ satis confidant, alienæ inuidere soleant; cum tu & opibus, & profapiæ dignitate, & maiorum rebus magnis gerendis, auctoritate comparata, & ingenio
in re-

in rebus gerendis, summâque prudentia & felicitate, instructus & ornatus ita fueris, vt omnium fortunas, authoritatem, sapientiam superes, atq; ad umbres. Quae omnia hæc tua ornamenta, hoc vno facto, quod à te Respub. exposcit, longè amplior & illustrior reddes, nosq; fortunasq; nostras, conseruabis. Quod equidem vt facias, atq; vt te ad omnes impressiones Reipub. pares; Andronicus Tranquillus Dalmata, quem patri tuo principi clarissimo, & de regno optimè merito dicatum fuisse video, quemq; Typis illustrioribus, quàm erat excussum, ad Illustriss. Mag. vestram mitto, sedulo hortabitur: atq; Vngariæ pericula, miseramq; seruitutem, quam illi discordia ciuium attulit, ante oculos ponet: & quibus armis Turcarum imperator inuictum illud regnum, & ceperit & euerterit, & in seruitutem redigerit, demonstrabit. Quem vt ea benignitate, qua omnes soles, ad te venientem recipias, & consilia sua regni huius conseruandi explicantem, & casum Vngariæ indignum, vitiaq; quibus perierunt hominum illorum demonstrantem audias, meumq; factum & consilium ad te scribendi, vt boni & æqui consulas, & in meliorem partem interpreteris, ac me, cum meis litterulis in tuum patrocinium recipias, etiam atq; etiam rogo.

Argumentū
in quo Andro-
nicus versatur

Casus Vnga-
rix.

EPISTOLA
TRANQVILLI ANDRONICI
DALMATAE,

*Ad Illustrissimum & Magnificum Dominum
Andream Comitem à Gorca, Castellanum
Poznaniensem, ac summum Ma-
ioris Poloniae Capita-
neum. &c.*



LLustrissime & Magnifice Domine,
mea quidem sententia semper fuit,
eos compendiaro itinere ad glori-
am incedere; qui vel conscriptis fi-
delissimis præceptis hortâtur ad vir-
tutem, vel adiecerunt animum ad tu-
enda & augenda communia commoda. Quod ge-
nus hominum antiquitas planè gratior & liberalior
diuinitati consecrauit. nec alia via propius accedi-
mus ad Deum, quàm cumulandis beneficiis, & in
commune cõsulendo. Sed vt alia præclara, ita mos
iste propemodum exoleuit. Sic viuuntur hoc corru-
ptissimo seculo, vt egregios conatus, rara gratia
consequatur. Me tamen ab instituto meo nunquam
alienus error deducet: nec deterrebit labor ab ho-
nesto

nesto opere : ac me ipsum iuuabit, si quid in rem videatur, cōmodis publicis pro virili consuluisse. Porro alij maiora aggrediantur, quibus amplior facultas & opes à natura atque fortuna suppeditantur : nos certè non pœnitebit in hac ingenij fortunarūq. tenuitate, quidquid diu experiundo salubre cognouimus, ad publicum vsum per occasionem tradere. Quod quidem fecimus, & Posnaniæ nuper abs te liberaliter accepti, quum quædam de philosophia commentaremur, & proximis diebus in meo accessu ad Illustriss. Ioannem Comitem à Tarnov Castellanum Cracouieñ. omni genere laudis cumulatifissimum, quem ego (nec me fallit amor) iudico cuius præstantissimorum huius ætatis ducem scientia rei militaris, consilio, virtute (vt modestissimè dicam) æquandum, tractaui quædam de nostris temporibus cum ipso cōmite, viro alioqui grauissimo, tibiq. tum affinitate, tum studiis in Rempub. coniunctissimo : ac per illud breuè tempus, quo apud ipsum in villa Wieuorka fui, pauca quædã de Rempub. scripsi succisuis horis ad vestros Optimates, quæ vestra omnium interesse arbitratus sum. Hanc sanè opellam cogitanti mihi, cui potissimum nuncuparem, cuius autoritate niteretur, tu primus occurrebas, & recenti memoria beneficiorum tuorū,

& quòd inter Optimates eminentem locum obti-
nes, nullamque pro salute patriæ non subeundam
esse dimicationem putas. Aequum est igitur vt
labor meus in primis defudet iis, qui de Re-
pub. bene merentur. Opto tibi om-
nia felicia. Cracouiæ, die ij.
Mensis Maij.

1545.

TRAN-

TRANQVILLI

ANDRONICI DALMATÆ

ad optimates Polonos

ADMONITIO.



EXISTIMAREM EQVIDEM operæpretium esse, viri optimates, multumque pertinere ad opes, ad dignitatem, ad fortunas deniq. vestras, & libertatem tuendam & stabiliendam; si tandem statueretis modum intempestiuis quibusdam occupationibus, ac mentem & sensus nonnunquam abduceretis à cogitatione priuatorum negotiorum ad curam vniuersæ reipublicæ, summaque contentione virium corporis & animi in eius incumberetis incolumitatem; vnde spes omnium haud dubiæ tanquam ex fonte quodam manantes, diductæque per riuulos, in singulorum sedes & domicilia redundant. Siquidem vt per venas à corde (quàm diu viget) sanguis & calor, spiritusque vitales profecti per omnia reliqua membra propagantur; & contra, eò quidē occūbente, neque commeante sanguine atque calore, spiritibusque penitus extinctis, languere cæteras

teras partes corporis, ac tandem interire necesse
 est; ita florentes Respublicæ, præsiidiisque vallatæ
 consilij atque prudentiæ, sic seruiunt commodis
 priuatorum, vt etiam dignitatem afferant & tran-
 quillitatem. Illis verò conuulsis & corruentibus,
 fit; vt omnium fortunæ atque ornamenta dome-
 stica radicitus conuellantur, eaque ruina præsens
 inuoluat. Fieri nõ potest, quin propter nimia stu-
 dia rerum priuatarum, primùm animorum dissen-
 siones oriantur, deinde similtates, postremò in
 apertas discordias & contentiones prorumpatur.
 Quibus de causis plerique opportuni finitimis ad
 iniuriam facti magnas coguntur adire calamitates:
 sæpè fortunis & dignitate spoliati, ipsa quoque li-
 bertate euertuntur. nec vlla maior alia labes &
 pestis plurima regna ciuitatesque perculit atque
 pessumdedit. Non referam autem innumeras eiu-
 scemodi mutationes & occasus, qui nullis atati-
 bus crebri non extiterunt: non recensebo exem-
 pla remota ab oculis nostraque memoria euerso-
 rum ex eisdem causis Principatuũ Rerumque pu-
 blicarum: non hærebo in commemoratione alie-
 narum à vestro dolore cladium, exitiique plurima-
 rum gentium, quod vltro sibi mores profligatissi-
 mi accersuerunt. Vnam tantùm singularem infe-
 licita-

licitatem huius seculi, ac insigne documentum varietatis & inconstantiae rerum humanarum, maximeque ad vos pertinens breuiter attingam. Quod quidem non sic tenue est, ut vos nulla eius commiseratio perstringat, non adeo vetustum, ut memoria tanti mali repente vobis exciderit. Itaque considerate mecum (si placet) viri optimates rem acerbam: proponite vestris animis, ac ex propinquo contuemini recentem ac miserabilem casum, funestamque ac plane Christianis omnibus deplorandam fortunam Hungariae Regni quondam florentissimi atque opulentissimi, vobisque tum foedere, tum necessitudine atque cognatione coniunctissimi. Quod quidem, dum in eo vigerent armorum studia, dum inter eos maius gloriae, quam diuitiarum certamen esset, dum plures bonam famam facerent, quam pecuniam, dum nemo partem ullam Reipublicae attingeret, nemo gereret Magistratum nisi ad publicam utilitatem, dum vnanimi consensu in commune consulere, ac decora & ornamenta patriae suae ipsorum insignia existimarent; erat celebre nomen Hungaricum & peruagatum: florebat gloria: fama impleuerat exterarum nationes: habebatur columen & propugnaculum vniuersae Christianitatis. Et hostis quidem barbarus, tametsi praepotens & superbus, tamen Hungaro-

garorum virtutem & admirabatur & extimescebat. Proinde nauabat operam per legatos; vt in eorum amicitiam insinuaretur: malebat callidus Tyrannus cum gente bellicosa, triumphorum auida, clarissimisque cumulata victorijs pacem agere, quam periclitari fortunam, quam sæpè fuerat expertus aduersam. Sed postquam ab optimis studiis discessum est, omnisque ratio gubernandæ Reipub. commutata fuit, deinde vbi scelera libidinesque in optimates immigrauerunt; versæ sunt vices rerû, ac fortuna simul cum moribus (vt ille inquit) immutata est. Per occasionem ætatis imbecillæ Regis nondû pubescentis & inexperti, sed alioqui innocentissimi; quidam, qui se dici optimates, & custodes, defensoresque Regni volebant, homines cupidi, ambitiosi, vafri, quæstum sectantes, arripuerunt clauû Reipub. inita nefaria inter se conspiratione non eius quidem conseruandæ, sed absumentæ atque perdendæ. vectigalia partim condonabantur, partim addicebantur minimo; in reliquias agebant prædas: ex tributis, in quibus consistunt ornamenta pacis, & subsidia neruique belli; ne numus quidem ad Regem perueniebat: sæpè tanta Rex ægestate præmebatur, vt (quanquam prouinciis integris, nullaque prorsus Regni diminutione atque iactura) ta-

men

men ad quotidianos sumptus emendicata pecunia
 vteretur; quum superiores Reges Hungariæ magni-
 tudine opum aliis exterarum nationum Regibus
 opulentis longè præstitissent. Fuit aliquando dies,
 quod satis constat, quò focus eius multis horis non
 concaluisset, sumptu ad emendum obsonium defi-
 ciente. Vacuus erat fiscus: thesauris implebantur
 domus priuatorum: ac ex peculatu coëmptis villis
 & sacerdotiis illustres per publicam calamitatem
 habebantur. videres satellitio stipatos, magnisque
 deductos comitatibus, splendorem ex furtis & rapi-
 nis contractum per ora populi circumferre. Quid
 dicam aut de nundinatione magistratum, aut per
 quas sordes promouerentur ad Episcopatus impro-
 bi, indocti, fungi, & probris contaminati homines?
 Si quem fama erat virtute atque probitate aliis an-
 tecellere, aut in quo eluceret vis animi atque inge-
 nij; huic interclusus erat omnis aditus ad honores
 aulamque Principis: quòd ignavis & consceleratis
 hominibus aliena virtus formidolosa esse videatur.
 Scio equidem quosdam viros strenuos, qui laude
 militari diu floruerāt, quia paulò liberius, quàm fla-
 gitiosorum aures patiuntur, de iniquitate suorū tem-
 porum quæsti, & in istiusmodi harpyias pestem pu-
 blicam inuecti essent; alios veneno clam fuisse sub-

latos, alios immisis percussoribus, in eorum ipso-
 rû cubiculis, per insidias oppressos & interemptos.
 Sed homines nefarij non coepere voluptatē ex tan-
 to scelere diuturnam: nec diu potiti sunt fructu ra-
 pinarum: omnes vna occidione occiderunt; quum
 hosti potentissimo per summam opportunitatem in
 Hungariam irruenti ipsi quidem improvisi imparati-
 que, nec ducibus idoneis, nec milite, tumultuan-
 tes trepidique coacti fuissent occurrere. Hæc labe-
 in reliquos Hungaros propagata nunquã extirpari
 potuit: ac nescio equidem, an vnquam extirpabi-
 tur. Nam vulgus hominum facillimè absque exem-
 plo in vitia delabitur: quæ vbi tenacius hæserunt,
 sanè difficulter, aut raro admodum reciduntur. Sic
 Hungariam illam, quam paucis ante annis vidimus
 opulentam & florentem, nunc verò citra lachrymas
 non possumus intueri, exagitatam seditionibus, ve-
 xatam domestico latrocinio, bellorum tempestati-
 bus quassatam & collabentem, ægreque trahentem
 spiritum, vix in suis ruinis insistere. Hæc tamen cõ-
 memorare non potui sine magno meo dolore, par-
 tim quòd in ammissione Hungariæ grauissimû vul-
 nus Reipub. Christianæ inflictum sit, adeò quidem,
 vt altero penè oculo esse orbata videatur, partim
 quòd adhuc ea integra, & postea rebus eius incli-
 natis,

natis, non postremam ipsius partem multos per annos curauerim, susceptis aditisque pro illius regni salute magnis laboribus atque periculis; tamen arbitratus sum, fore salubrè vobis & frugiferū ad conseruandum præsentem statum vestræ Reipub. cognoscere; & quibus artibus Regnum illud aduersus omnem vim externam, fortunæque minas & impetus, per multas ætates firmum inconcussūque steterit, & per quas deinde cõtaminationes breui corruerit. Nihil tam erudire dicitur etiam viles & rudes animos ad vitandos errorum lapsus: nihil iis, qui rebus publicis præsident, ad retinenda pacis otia tam esse conducibile: nihil quemcunque ciuium ordinem ad vitam rectè sapienterque delegendam æquè instruere; atque alienorum peccatorum cognitio, si propius, & non quasi per transfennam inspiciantur. Volciani, gens Hispaniæ, petentibus Romanis eorum societatem, Sagunto iam expugnato ab Hannibale, quum socij essent populi Romani, ac nihilominus ab iis deserti, ac hosti proditi, responderunt; ibi quærant Romani socios, vbi Saguntina clades ignota est. Nam quis sanæ mentis amicitiam cum iis ineat, qui obliterati foederum ac omnis diuini iuris & humani, infideles in amicos sint? Et Xantippo Lacedæmonio Carthaginensium error pate-

fecit iter ad gloriam : quippe cùm sæpè inciticia Imperatorum cæsi essent eorum exercitus à M. Regulo consulè; ipse commutata ratione belli gerendi vicit Romanos : quòd si Carthaginensium errorem sequutus fuisset, in easdem sese plagas præcipitauisset. Bruta quoque tametsi ratione priuata sunt, tamen alieno malo sibi cauent. Nullis verberibus iumentum adiges, vt per easdem angustias transeat, vbi vidit aliud prolapsum in cœno volutari. Nimirùm feliciter is sapit (vt prouerbio dicitur) qui alieno malo sapit. Si autem in exponendis morbis Hungaricæ gubernationis, quemadmodum nobilissimùm Regnum virtute fundatum, constantia stabilitum, amplificatum industria, dum perdit mores nulla remedia patiuntur, euersum est, quibusdam prolixior visus fuero ; hi velim sciant, hoc à me consultò esse factum, vt qui aut in Repub. quacunq. ratione versantur, aut domi militiaeue magistratus gerunt, habeant tanquam in breui tabella depictum, quod vel fugere vel sequi, sibi que ac suæ Reipub. sumere possint. Atqui non sum nescius, viri optimates, quanta sit in vobis sapientia, quanta vis ingenij, quanta rerum domesticarum & externarum experientia : quapropter non dubito, hæc ferè omnia, quæ hactenus dixi, & quæ deinceps dicturus sum, vestrum
aliis

aliis esse cognita, aliis etiam cogitata: tamen haud existimo arroganter me, aut temere facere. Neque vereor curiosus in aliena Repub. videri, si aut metu vestri periculi, aut vestrarum vtilitatum incitatus cupiditate, non modò cogitem de vestris commodis; sed etiam sollicitus sim, vt regnum hoc sanctè pieque domi gubernetur, hostem foris à se quàm longissimè propellat. Et si non contigit me in vestro solo nasci, omnes tamen, qui per sacrosanctum lauacrum regenerati sumus, & seruatori Christo insiti, vnum genus, vnus populus esse debemus, non tam necessitate, quàm voluntate. Sanè quàm absurdum est eos haberi alienos, qui per adoptionem Christi facti sunt inter se fratres, & ipsius Christi cohæredes, Polonum esse aut Germanum, ista sunt nominum discrimina, non sanctæ conuersationis Christianorum. Quod verò maius piaculum reperiatis, quàm eos inter se distingui cognationibus & spaciis terrarum, ac numero alienorum ducere; quos Christus ipse coniunxit fide, religione colligauit, vnum in charitate esse voluit? Nihil autem refert in hac vel alia terræ particula gigni: vnus patriæ incolæ sumus & ciues, mox cœlestes futuri. Proinde Socrates ille, sapientissimus mortalium iudicatus, in interroganti cuidam cuius esset, non dixit se Græcum

cum esse, non Atheniensēm, sed planè mundanum: quo significauit, mundū esse cunctis patriam communem. Præstantius sanè cum multis ageretur, si non ipsi viderentur sibi tantū sapere; sed externorum quoque bonas artes amplecterentur, easq. honore dignas existimarent. Nam constat imperium Romanum, quod sine dubio regnorum omnium, & imperiorum in terris præstantissimum fuit, nulla re alia sic adoleuisse, in tantam euasisse magnitudinem, quàm non fastidiendo genus vllum hominum, in quibus virtus eniteret. Hanc viam Principes Turcorum ingressi, rerumq. ciuiliū & bellicarum mandata cura nostris hominibus delectis ex iis, qui consecrati Machometicæ impietati videntur idonei publicis muneribus obeundis, quidquid aggrediuntur, ex sententia perficiūt: nihil illis priuatim & publicè non prospere, nihil non diuinitus succedit. Vnam ipsi gentē arbitrantur, quæ licet ex variis collecta nationibus, eorum tamen impios ritus vanitatemq. superstitionum complexa est. Non expendant genus hominum, sed mores: nec vnde originem ducant, sed quantum ingenio, consilio, manu valeant. Iam cum disciplina militari bellicisque laudibus & ipsa charitas, quum à nobis male obseruaretur, ad barbaros profugit: eaque parte cecidimus,

mus, quâ debuimus esse inuicti. Verùm ita sit vt vultis: ipsi, vt sunt barbari, desipiunt: vtinam sine malo nostro desipiant. Hîc nolo diutius immorari, ne quidã exprobratam esse culpam sibi doleant, neue rem aliam agere videar. Quid autem alii sentiant, ipsi viderint: me certè optimis rationibus, non falsis opinionibus nixum, primùm Christiana charitas, deinde multæ non leues causæ necessitudinis, quæ mihi olim intercesserunt cum quibusdam vestri ordinis, impellunt, quò rebus vestris consultum esse velim. Neque prætermittendum est illud, quod apud plerosque magni momenti est, quorum mentes magno opere occupantur in ambitione & gloria rerum humanarum, qui decora maiorû suæ nationis, propriæ laudi vendicant, licet ab eorum vestigiis longissimè aberrent. Ex gente linguaque Sclauinorum (sic enim appellantur ab antiquis scriptoribus) quæ soli amplitudine quamlibet aliam nationem longissimo interuallo superat: siquidem continua patet ab Oceano Hyperboreo ad mare Adriaticum, ab Albi fluuio ad Pontum, innumeras complexa prouincias: præterquam id terrarum, quod Hungari Scythica gens, & in extremo latere Valachi oriundi à Romanis, Pannoniam videlicet inferiorem, Daciam, Iazigesque Metanastas occupauerunt: ex illa

E

inquam

inquam gente, quæ plurimis suis regibus & Dynastis gloriabatur, cuius res gestæ per orbem celebrantur, quæ terrori finitimis populis erat; nunc miserabiliter, varieque distracta, pars his, pars aliis dominis paret, præter gentem Polonam (nam de Boëmis & Roxolanis nihil nunc dicam) quæ moderato mansuetoque Regum imperio regitur: ipsa quoque auita libertate fungitur magis ad obsequium, quam ad contumaciam aut ad libidinem. Præter etiã Curretum & in Pannonia glandifera Sclauinorum (hoc vetus ac proprium nomen gentis adhuc illis durat) paucas arces, quæ adhæserunt Regi Romanorum, exceptis Carnis & parte Liburnorum, qui principũ Austriæ imperata faciunt. Non connumeratis maritimis Dalmatiæ ciuitatibus, quæ proximo bello ægrè defensæ, ammissis tamen agris, aut euastatis in Venetorum potestate remanserunt. Ragusini quidem nec integra libertate potiuntur, nec omninò seruiunt. Reliqua omnia nostri nominis, Scordiscos, Dardanos, Triballos, vtrasque Mœsias, & Thraciam inter Aemum montem & Danubium, ac totum Illyricum Thurcus suæ ditionis fecit: eisque superbè, auarè, crudeliter imperat. Cum Ruthenis feliciter actum est, quòd se cum Polonis coniunxerunt: nam & sub iustis legitimisq. imperiis citra metum iniuria

riæ degunt, & cõiunctis viribus tutiores sunt aduersus metum barbarorum. Quapropter omnes cõmunionem linguæ vobis insertos, licet distent regionibus, decet simul huic regno petere à diis immortalibus prosperos successus, simul in eius felicitatem niti: quippe in grauissimis ærumnis, ac seruitute miserima nationis Sclauinorum hoc vnum ornamentum in terris Dei benignitate superest, quod precor perpetuò vobis faustum felixque maneat. Cæterum vt ad vos redeat oratio mea viri optimates, inprimis me declarare oportet, qui sint optimates, cur potissimum vos alloqui consilium fuerit. Optimates igitur appello præfides legum: custodes æquitatis: defensores reipublicæ: propugnatores libertatis; qui diuisionem regni, descriptionem ordinum, equitum numerum, vectigalia, tributaque regni; quos socios respub. habeat, quos amicos, quos stipendiarios; qua quisque sit lege, conditione, fœdere; qui exempla maiorum, quid quodque loco aut tempore sit factum, omnem deniq. statum Reipublicæ probè sciant: qui ad tuendam dignitatem principis, ad defendenda iura populi, atque commoda, ad communem salutem conseruandam, omnibus animi & ingenij neruis incumbant: quibus innocentia commendationem, virtus admirationem,

omnis vita honeste acta conciliet authoritatem: qui
 suas priuatas vtilitates, ac reliquas viuendi rationes
 charitate patriæ posthabuerunt: quos neque me-
 tus absterret ab officio, neq. pericula diuellunt ab
 institutis consiliis animiq. constantia. Nam pro-
 ponant sibi necesse est, dum tueri hoc nomen opti-
 matum in defendenda fama bonorum, communi-
 busq. commodis volunt; ne quid priuatis studiis
 de opera publica detrahatur: sæpè in grauissimis flu-
 ctibus sibi gubernandam esse Rempub. sæpè tenen-
 dum clauū in atrocissimis tempestatibus: sæpè for-
 tissimè occurrendum seditionibus popularium: sæ-
 pè coniiciendas esse suas spes omnes in flammam
 cōcitatae multitudinis, ac propè quotidie inuidiam
 esse pro Republica subeundam. Nunquam enim de-
 erunt in Repub. improbi, audaces, factiosi, perni-
 ciosi ciues, qui rebus nouis studentes, turbare quie-
 tem bonorum & statum Reipub. conabuntur. Ho-
 rum sceleratam audaciam, pestiferosq. conatus,
 non alia vi magis, quàm virtute, consilio, magni-
 tudine animi represseris. Hoc etiam statuunt opti-
 mates apud se, cunctis sibi voluptatibus interdictū:
 agendi, laborandi, vigilandi, nullam intermissio-
 nem concessam esse: vt quum ipsi in negotiis, labo-
 ribus, excubiis fuerint, tum demum otium, quies,

seu-

ſecuritas populo, eſſe parta videantur. Porrò vt hæc omnia ſingularem prudentiam, aſſiduamque curam & cogitationem flagitant; ita quidem nihil actum eſſe domi videbitur, niſi parem ſolertiam animique robur ad cognoscendas res externas attulerint. Eſt enim eximiæ ſapientiæ, ſummi que conſilij provide- re, ne quid extrinſecus detrimenti Reſpub. patiatur. Non parum intereſt gubernantium Rempub. noſſe aliorum formam regnorû: quas vires habeant: quibus polleant opibus: quibus amicitiiis nitantur: & quæ magis vel ad odia, vel ad ſimultates inclinent. Hoc autem operæpretiû eſt, ante omnia proſpice- re, & omnis eò vis atq. ratio animi & ingenij con- ferenda; eſt vt explorentur mentes finitimorum, vel publicorum hoſtium, vel dubiorum amicorû, quid cogitent, quid ſperent, quid moliantur. Quarum re- rum ignoratione ſæpè numero cõtingit, magnas re- bus publicis inferri calamitates: alioqui ſi nullis af- ficiantur incommodis, id non arrogant ſuæ proui- dentiæ: cæterum tribuant felicitati, ac ſtupiditatem ſuã damnent. Memini equidem huiuſcemodi negli- gentia bis in Hungaria maximam cladem accidiffe: ſemel ſub Ludouico rege, qui eodem prælio & ipſe extinctus eſt, & omnes vires ac ſpes Hungarorum conciderunt. Iam erant à Thurcis iuncti pontibus

Sauus & Drauus, iam hostis plenus irarum præualidas copias induxerat in regnum: & adhuc magnis contentionibus & studiis partium litigabatur corā Rege de iure prædiorum & vsucapionibus: agebatur inter Hungaros summa stupiditate animorum incredibiliq; negligentia, perinde quasi summoti essent hostes vltra Eufratem. Sic tandem Hungari excitati propemodum equorum hostilium fremitu pauci & incompositi in ipsam aciem obuiam hosti profecti, temeritatis & incitiæ poenas magna strage luerunt. Iterum dum Rex Romanorum pertinacius præmit obsidione Budam, emporium Hungariæ, per legatum, neque credit rumoribus Thurcos magnis cum copiis subsidio obsessis Hungaris aduentare, neq; rem certam per suos exploratores cognoscit, hoste appropinquante, nec amplius data facultate retrocedendi, magnam partem exercitus amisit. Videtis quanta munia Reip. suis ceruicibus sustineant optimates in procuranda eius vtilitate, præcauendoque à domesticis externisq; periculis. Qui igitur ea firmitate animi est, ea magnitudine consilij, tanta laboris & vigiliarum tolerantia; hic non solum inter optimates, sed etiam dux & princeps optimatum habebitur. Quòd si quis impar est huic labori, si cui magis otium blanditur, si quem desidia inuitat,

tat, somnolentia detinet, voluptates illiciunt, si propensior est in sua, quàm in publica commoda; hùc ego, si qua mihi familiaritas cum illo intercederet, dehortarer à capeffenda Repub. ne temere sese in illud pistrinum intruderet, sed potius quieti consuleret, fortunisque cumulandis. Sin autem assidet clauo vna cum optimatibus, orarem, atq. etiam obtestarer, quàm primum excuteret iniquum onus de suis humeris: concederet melioribus hunc honorè: prius, quàm auspicaretur tantum munus, tam excellentem dignitatem, disceret, qua itur ad veram gloriam: certè non indulgendo socordiæ, illecebrisque voluptatù, sed inuehendis publicis vtilitatibus, virtute propaganda, bonis ad honores extollendis, eorumque fama defendenda. Proinde hoc genus hominum, quod abhorret à labore, studiisque bonarum artium, ad desidiam non ad laudem natum; meo iudicio rectè fecerit, si non versetur in luce ac celebritate hominum: cæterum sese abdat in tenebras & lustra ad obliuionem sui nominis sempiternam. Exposui quàm breuissimè potui, qui sint optimates. Nunc accipite quæ causæ me compulerint, non ad reges, non ad vniuersam nobilitatem, sed tantum ad vos verba facere. Equidem si qua ingens intra fines regni vestri tempestas expectaretur, si certamè atrox,

atrox, aut graue periculum Reipub. immineret, ad quod propulsandum opus esset magna audacia, singularique virtute, si de omnium capite, libertate, fortunis dimicandum esset; putarem omnem orationem ad ipsum nobilitatis ordinem esse conuertendam: tentarem omnes aditus: experirer vim omnem huius facultatis in dicendo, si quam modò nacti sumus: proponerem maiorum res gestas, illustremque gloriam & peruagatam, quorum virtute regnum hoc ex paruis initiis in istam amplitudinem creuit; vt eorum vestigiis insistentes, memoriam sui nominis non dicam ab obliuione vindicarent, sed propagatam egregiis factis in posteros commendarent æternitati: admonerem charitatis patriæ, quæ vincit omnes alias charitates, nec debet apud gratos ea quicquã esse antiquius: cohortarer ad eius propugnationem: incitarem eorum animos, vt concurrerent alacres ad flammam communis incendij restinguendam: rogarem, vt in perpetuum dignitati consulerent, libertatemque tuerentur; qua amissa, omnes reliquæ iucunditates intereunt: contenderem denique precibus, vt liberos ab ærumnis & seruitute, pudicitiam vxorum à turpitudine, domos & sanctissima templa à conflagratione, vniuersam patriam à vexatione, pernicie, ruina, excidio defenderent.

derent. His & aliis huiuscemodi nobilitatem allo-
 querer, si causa, vt dixi, postularer, flagitaret neces-
 sitas, tempori & moribus eorum conueniret. Sed
 nimirum hoc quoq; superuacuum foret, quasi cal-
 car addere sponte incitatis ad cursum. Nam quanto
 semper hic ordo flagrauit armorum libertatisq; re-
 tinendæ studio, non obscurum est: ac mihi quidem
 videtur ad bellicam laudem & libertatem esse na-
 tus. Nec sanè video, quo alioqui pacto, non dicam
 dignitatem hanc, sed spiritum & vitam, tam diutur-
 nis temporibus circumfusi penè vndiq; magnis ho-
 stibus, sæpè etiam grauitè oppugnati, retinere po-
 tuissetis. Alia quidem regna, vel montes asperi, vel
 circumiectarum siluarû densitas, vel præruptæ præ-
 cipitium fluuiorum crepidines, vel difficiles angu-
 sti que aditus, vel munitæ vrbes ab hostili vexatione
 defendunt. Vos verò agentes in campis patentibus,
 ac omni ex parte peruiis, nullis præterea munitio-
 nibus, nec natura, nec opere instructos vallatosque,
 & idcirco expositos ad externam iniuriam, quid ali-
 ud texisset per tot annos in vestris sedibus inuiola-
 tos florentesque, nisi gloria militaris, & virtus à ma-
 ioribus per manus accepta? Etenim cùm metu ser-
 uitutis atque ignominia, tum laudis cupiditate sæ-
 pè incredibili consensione huius ordinis animoque

fortissimo itum est obuiam iniuriæ, hostium impetus repulsi, virtute facta est barbarorum audacia. Id sanè magno quoq. argumento est, non degenerasse vestros nobiles à maioribus; quum communis decreto Polonis interdictū sit in vniuersum, bellis externis, vt præsentibus patriæ opitulentur, si quando continget eam laborare vrgerique ab hoste, cuius salus quibuslibet aliis rationibus anteferi debet: multi tamen ex nobilitate, nō ferentes ignari otij longiora tædia, clam se domo subducunt: ac vbi senserint moueri arma, licet longissimè absint, eò conuolant, vt aliquo memorabili facinore nomē suum reddant illustrius. His ego de causis alloquendam nobilitatē vniuersam non iudicavi, præfertim, quòd ipsi ciuiles cōtrouersias & Reipublicæ procurationē dicuntur optimatibus permisisse. Iam venio ad alteram partem consilij mei declarandam. In primis autem considerare debemus primam huius regni constitutionem, quanta æquitate fundatū, quàm sanctissimis legibus communitū sit, nec propendens ad dominationem, nec habens quicquam affine impotentiaë libidiniq. tyrannidis. Ac optima quidem ratione prouisum fuit à vestris maioribus, quum ornassent regiam amplitudinem clarissimis insignibus, quibus digni veneratione plurimum
inter

inter proceres eminent, auctoritatem & dignitatem regiam egregiè tuerentur; vt potestas deliberandi de Repub. penes Senatum, qui legitur, ex optimatibus, reges, præfides, & authores legum & iudiciorum essent. Quoniam in consultationibus, vbi deliberatur à plurimis, qui se profitentur communum commodorum defensores, raro quidem accidit, quin euentus salutes consequantur. Nam prauitas & imbecille iudicium paucorum, quando eos contingit aberrare à formula recti officij, bonitate plurimum, & grauitate consilij corrigitur. Satis autè vel ex eo iudicare possumus, vestros quidem maiores multum sapientiæ præstitisse, quòd in longa tempora, etsi mutationes rerum humanarum paterentur, in sempiternum incolumitati suæ prospexerint, nec integram regibus potestatem permittendo, nec abrogando regiam auctoritatem: nam quibus regibus licet facere quod concupierint; eorum pauci refrenare cupiditates, modumque rebus adhibere potuerunt: quia genus humanum procliuius est ad nequitiam: &, authore Comico Poëta, deteriores licentia sumus. Quocirca Rex Spartanorum Theopompus, quò animaduertisset plerosque reges peccandi licentia factos improbiores, primùm in flagitia, deinde in cædes prorupisse, ac eam ob rem ali-

os eiectos, alios trucidatos à popularibus, vt ipse liberis diuturnius regnum relinqueret, diminuit potestatem regiam, creatis Ephoris, cuius magistratus erat ius intercedendi regiae impotentiae. Tum demum æqualibus se res habent, & is Reipub. status non faciliè conuellitur, in qua certatur inter populares modestia, legesque omnibus ex æquo imperant. Enimuerò solutum legibus principem, quis non metuat? quem autem metuit, non oderit? Vbi hæ perturbationes multorum procreatrices malorum dominantur; exulet beneuolentia, fides, & virtus deserantur necesse est. Nullo autè firmiore vinculo Principis & popularium voluntates glutinantur, hærentque inter se diu summa cum salute ac dignitate Reipub. quàm illorum amore & obseruantia in Principem, huius vicissim in illos indulgentia & æquitate. Quæ cuncta vobis rara felicitate video accidisse. Is enim Princeps dono quodam prouidentiae huic regno datus est; quo neque meliorem, neque sanctiorem, neque cui fortuna indulgentius magnis in rebus aspiraret, nemo sanæ mentis, ne optare quidem à diis immortalibus possit. Quæ olim singula quosdam reges illustres habuisse dicuntur eminentissima, vt Cæsarem memorant clementia, Augustum felicitate, bonitate Traianum præstitisse; in hoc

in hoc rege concurrentibus clarissimis virtutibus ad eum ornandum, cumlata omnia existunt. Ad hæc, non tantum regiis præfulget dotibus; vt fortitudine, iustitia, grauitate, seueritate, constantia, beneficentia; sed etiã priuatam laudem temperantia, mansuetudine, facilitate supergressus est: tanto studio in tutelam regni incumbens, tanta cura consulens quieti populorum, tanto complectens amore vniuersos; vt meritò sicuti patriæ parens & vindex, ametur, & suspiciatur ab omnibus, timeatur à nemine, nisi à quoq; perditissimo ac perturbatore publicæ securitatis. Nec hostes eius mansuetudinis expertes fuerunt: qui sæpè, quum extrema supplicia meruissent, ipsius clementia seruati sunt. Quare non temere adducor vt credam, Deum iustum remuneratorem humanarum operum, propter æquissimi mitissimiq; regis excelsas virtutes, animumq; gerentis aduersus cupiditates, & fortunæ blandimenta semper inuictum; & dedisse vobis clarissimas victorias de hostibus, & hanc diuturni otij peperisse huic regno tranquillitatem. Quod quidem vobis non magis fructu, quàm recordatione iucundum esse debet. Quum enim terræ mariaq; per hos annos armis streperent, quum arderent bello in Europa regna omnia, quum furor Martius vbiq; grassa-

retur, sola Polonia fecura bellorum profunda pace fruebatur. Sed quoniam rerum humanarum aliquis finis est, ac mortalium vitam natura terminis perangustis circumscripsit, optimus Rex iam ingrauescente ætate, ac eò propius accedente, quò mortalitate deposita immortalitas induitur: quem finem arbitrator iis, qui vitam piè, sanctèq. transegerunt, vehementer expetendū. Rex inquam optimus, quandoquidem non licet perpetuò Reipub. vestræ præfidere, cogitans etiam in futurum de vestris commodis, relinquit filium veram patris imaginem successorem & hæredem nominis & regni: qui (licet nondum ad viriles annos peruenit) iam meditatur paternam gloriam, reuoluit animo res gestas, crebrisque, vt aiunt, sermonibus vsurpat victorias, Trophæa, triumphos: nec tam existimat eorum memoriam duntaxat esse relictam sibi ad voluptatem, quàm viam esse propositam & formam ad patrium decus æmulandum. Non solùm autem argumenta in ipso magni & liberalis animi, sed pietatis, iustitiæ, multarumque clarissimarum dotum elucent. Quale illud indicium futuri boni principis, quòd alienus à ludis & iocis, scurras & mimos contemnit: calumniis non patet improborum: ad venena delatorum & obtrektorum aures penitus occlusit. In-

telli-

telligit non decere tanti regni Principē delinimentam sensuum & illecebras quærere; sed quo pacto regnum, à sapientissimo iustissimoque patre per manus acceptum sapienter & iustè gubernet. Itaque non dat operam, iis, à quibus deterior fiat, sed frequenter audit sapientiæ doctrinarumque professores: sæpè conuersatur cum studiosis armorum, peritisque militiæ. Prudentiam vndique, magnum stabilimentum imperantium, conquirat; quo se dignū patre, dignum Senatu, dignum nobilitate, dignum opinione omnium præbeat. Quamquam grauissimam iacturam vestra Respublica patietur, quum Rex ille optimus & sanctissimus plenus annis & gloria rerum gestarum, decedens ab humanis in cœlū subuehetur, ascriptusque concilio Diuorum consecrabitur: quod optamus in sera tempora protrahatur: semper enim immaturè decedet vestræ Reipub. quandocumque decesserit; tamen haud mediocriter solabitur dolorem vestrum, quòd filium summæ spei, paternisque vestigiis incedentem, & sese componentem ad exemplar veri, iustique principis, reliquerit vobis regni successorem. Quum igitur & auctoritas tanta sit in optimatibus, quanta vniuersitas nobilium esse voluit, & reges nihil de Republica decernant, nisi ex sententia Senatus; vos duntaxat
optima-

optimates censui de vestris communibus commo-
 dis alloquendos. Sed dicet quispiam ingeniosus ho-
 mo & acutus: Nullum vides principis errorem: nul-
 lam culpam Senatus: non contumaciam nobilitatis:
 regnum neque seditionibus agitari, neque vexari
 hostium incursionibus, sed omnia quieta esse domi
 & foris; quid repente accidit mali, quòd te pere-
 grinum offendat, vt tantopere sollicitus esse videa-
 re de aliena republica? Vt primùm autem ad illud
 respondeam, quod de alienigena obiicitur; nõ de-
 bet quenquam offendere, si quis vel ab extremis
 terræ partibus quippiam animo iuuandi res vestras
 in memoriam vobis reuocet: magis habenda est illi
 gratia, quòd voluit prodesse. Nam in vestra situm
 est potestate, admonitionem eius vel sequi, vel non
 admittere. Tametsi consilia quidem non perinde
 probantur à sapientioribus eorum causa, qui ea di-
 xerunt, atque propter suam ipsorum grauitatem, à
 quocunque authore profecta sint. Nec Mosem vi-
 rum sanctum, & plenum Deo ferunt erubuisse, qua-
 dam, ex sententia Ietro, quãquam soceri sui, sed pro-
 fani dogmatis, in ciuili ordinatione instituere. Dies
 profectò me deficiet, si velim commemorare, aut
 quibus res feliciter successit inuentis externorũ ho-
 minum, aut qui freti sua prudentia, in profundum
 mise-

miseriarum præcipitati sunt. Ego verò tantùm ab-
est, vt postulem meis admonitionibus dari locum,
vt quamcunque viam elegeritis, quæ salutaris huic
regno futura sit, desiderio meo satisfactum esse cre-
dam. Nihil enim aliud à me agitur, nisi vt res vestræ
diu sint incolumes & fortunatæ: ac me semper iu-
uabit conscientia, neque fidei, neque amori, neque
officio, neque consuetudini meæ defuisse. Expedi-
ta causa mea. Nunc ad alteram partem reprehensi-
onis respondeo. Si quicquam infra Lunæ circulum
stabile aut æternum haberi posset, non modò faue-
rem quietis rebus vestris; sed etiam ducere esse vo-
tis omnibus à superis exoptandum, vt vobis æter-
num hac pacis & otij profunda iucunditate perfrui
liceret: cernimus autem magnas rerum vicissitudi-
nes, mutationes inopinatas, & quæ credebantur
nulla vi posse labefactari, puncto tēporis fuisse con-
uulsa. Proinde si quid coniectura possumus in futu-
rum prospicere, vereor equidem hoc statu rerū ve-
strarum, hac animorum affectione, præsertim, quum
præpotens acerrimusque hostis & infestus ardeat
incredibili cupiditate subigendi totius orbis Chri-
stiani, nunc accessione Hungariæ terribilior & pro-
pinquior, & ad inferendam vobis iniuriam factus
opportunior; vereor, inquā, ne qua calamitas in ve-
stram

stram Rempub. inuehatur. Sunt autem propemodum infinitæ causæ mutationum, quibus otium disturbatur: easque recensere omnes operosum est, nec ad instituti nostri rationem pertinere iudico: nolo etiam videri me fuisse nimis curiosum in perscrutandis aliorum archanis. Vnam tantum proponemus originem sine dubio & pestem malorum priuatorum & publicorum, quæ vel in sapientum animos incurrit. Vt Phthisis (quemadmodum periti medicina tradunt) ipsis initijs sanari potest, sic immedicabilis est, quum inuasit in partes corporis intimas: tamdiu medullas & viscera populatur, donec totum corpus conficiat. Itidem morbus iste ciuilis, de quo sermonem instituimus, postquam inter ciues inueterauerit, nullis deinde remedijs expugnabitur, nec antè conquiescet, quàm omnem Reipublicam euertat: eò quidem nondum inualescente, ac mox de sedibus animorum & conuersatione publica sublato atque depulso; nihil est, quod posthac quieti metuatur, præter externam violentiam fatig. necessitatem: contra quam nemo sapit: cui super quoque cedere dicuntur. Hoc igitur diligenter intuebimur, hoc singulari cura cõsiderabimus, in hoc versabitur omnis nostra cogitatio, vt appareat quid potissimum discordiam pessimum malorum omnium in

um in Repub. efficiat, & quibus artibus reuocetur ad concordiam tantisper, dum remediis locus est: vt qui administrationi rerum publicarum incumbunt, si discordia laborarint, sciant quemadmodum dissensiones extirpentur: sin autem fuerint animis inter se consentientibus; diurnam concordiam, maximam proculdubio firmitudinem rerum publicarum præstare possint. Cogitabam equidem ferè omnes causas, vel saltem potiores distractarum voluntatum, & quomodo tollantur ciuium dissidia, persequi accuratius: quid præterea respublicas alias breui deleuerit: quid alias in longissima pace conseruarit; verum hanc ego materiam, quoniam ingentis est operis, magnæque lucubrationis, seposui mihi in aliud tempus commodius. Neque me finit dubium de vestris animis impudentiæ metus maiora conari: ne fortè, dum bono consilio studemus aliis prodesse, contemptionem, & odium nobis ipsis apud nonnullos pro gratia contrahamus. Nunc itaque satis sit summam aperuisse capeffentibus Rempub. quibus rationibus communia commoda seruentur & augeantur: quod genus degendæ vitæ sequendum sit, vt saluti ac diurnitati Rerumpub. consultum esse videatur: quod sanè præstabit extinctio discordiarum: discordias autem obliterabit iniuriarum obliuio, &

modus tum in pecunia, tum in honoribus concupiscendis, quum quilibet existimabit eò se loci venisse, vt publicam rem, non suam agat. Proximùm est, vt socios laborum & vigiliarum, quemadmodum fors coniunxit, sic ratio muneris & charitas connectat: alterius laudem & bonam famam, suam quisque priuatam & peculiarem ducat: omnibus idem animus sit, eadem cogitatio & voluntas. In hunc modum agendum arbitraret etiam iis, qui nullum hostem habent, ab omni vi externa tuti esse videtur. Quanto magis viri optimates, istud præstare vos debetis à tanta hostium multitudine circumfessi, qui hærent propemodum in vestris ceruicibus, intentique anhelant ad oppressionem regni vestri? Prouideatis per Deum quæso, ne prouocati hostes vel negligentia vestra, vel diuisione voluntatum, audacius in regnum vestrum incurrant. Nam si videbunt firmam, stabilemque concordiam huius ordinis, ex vobis enim negotij tota vis dependet, quantumlibet ferociant, seque iactent numero copiarum, libenter (credite mihi) ab ingressu finium vestrorum abstinebunt: nec se temere coniciunt in manifestum discrimen ac certam perniciem, laceffendo gentem bellicosam, armatam, in defendenda libertate vnanimem & concordem. Sic ergo decus vestrum & dignitatem

tem vnà cum salute Reipub. conseruabitis: & qualem à maioribus accepistis, eandem integram & florentem relinquetis vestris posteris. Proinde capessite serio Rempub. ac totis in illam viribus incumbite, dum tempus consiliorum est.

Nam is sero sapit, quisquis sapit post factum.

